



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippo. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De brevi vita hominis, 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

miseria, nulla est ibi ægritudo, nulla omnino necessitas: non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii; nec ulla tentatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidet: homines quoque Angelis sociati, sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna; in qua, qui semel suscipitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus; amoena-tas de novitate, securitas de æternitate, sua-vitas atque dulcedo de Dei visione. Et quis non illic habitare vehementer desideret, & propter pacem, & propter amoena-tatem, & propter æternitatem, & propter Dei visio-nem? Nullus est ibi peregrinus, sed quicun-que illuc venire merebuntur, securi in pro-pria patria manebunt semper læti, & semper satiati de visione Dei. Et quanto plus aliquis hic Deo obediens fuerit, tanto ampliorem ab eo mercedem ibi recipiet: quantoque amplius Deum amat, tanto propius vide-bit, quem cernere cupit.

C A P V T X V.

De brevi vita hominis.

I. **D**ies hominis sicut umbra super ter-ram, & nulla est mora, & tunc pro-prie nihil est, cum stare videtur. Cur ergo thesaurizat in terra homo, cum sine dil-a-tione transeat, & illud quod colligitur, & ipse qui colligit? Et tu homo, quem fructum exspectas

expectas in mundo ; cuius fructus ruina est,
cuius finis mors est ? Vt inā saperes & in-
telligeres , ac novissima prudenter provide-
res ! Scio quendam , qui per annos plurimos
tecum familiariter vixit , ad mensam tuam
sedit , cibum de manu tua sumpfit , in sinu
tuo dormivit ; cum voluit , tecum colloquium
habuit . Hic jure hæreditario servus tuus est .
Sed quia ab ineunte ætate delicate nutriti
eum , & virgæ pepercisti , contumax effectus
est . Levavit calcaneum suum super caput
tuum , & te in servitutem redegit , & tui cru-
deliter dominatur . Sed fortasse dices : Quis
est hic ? Vetus homo tuus : qui conculcat spi-
ritum tuum ; qui pro nihilo habet terram de-
siderabilem : qui sola , quæ carnis sunt , sapit .
Homo iste à nativitate cæcus est , & surdus &
mutus ; inveteratus dierum malorum : rebel-
lis virtuti & veritati ; inimicus crucis Chri-
sti . Deridet innocentem & simpliciter trans-
euntem . Ambulat in magnis & mirabilibus
supra se : arrogantia ejus est plus quam for-
titudo ejus ; nullum reveretur : dicit in insi-
pientia sua , Non est Deus . Tabescit bonis ,
& malis pascitur alienis : immundis cogita-
tionibus pascitur , non fatigabitur in illis
transgrediens usque ad finem : dispergit &
dissipat propria sicut prodigus , cupid & rapit
aliena sicut avarus : turpitudinem , & igno-
miniam congregat sibi ; simulans & callidus
provocat iram Dei .

2. Homo iste totus in peccatis natus est , &
sic nutritus , amicus iniquitatis , filius mor-
tis , vas itæ in contumeliam , aptus ad interi-
tum .

MEDITATIONES

322

tum. Qui cum talis sit, enarrat justitias Dei,
& assumit testamentum ejus per os suum.
Odit disciplinam, projicit Dominum suum
post dorsum suum. Cum videt furem, currit
cum eo, & cum adulteris portionem suam
ponit. Adversus filium matris suæ ponit scan-
dalum, super terram etiam thesaurizat iram
in die iræ. Vult à te hæreditatem tuam tol-
lere, & desuper terram auferre; & tu tantam
injuriam non vindicas, sed dissimulas: nec ei
verbum durum loqueris, nec vultum iratum
ostendis, sed blandienti tibi arrides. Ludis
cum illusore; nescis quia Ismael est, qui te-
cum ludit. Ludus iste non est pueritiae, nec
simplicitatis, vel innocentiae; sed illusio est
animæ, sed persecutio, sed mors. Iam te in
foveam quam fecit, præcipitavit. Iam effa-
minatus es, jam jugo miserrimæ servitutis
pressus, sub pedibus ejus misere & viliter
conculcaris. O miser, miserabilis homo,
quis te liberabit de vinculo improperii hu-
jus? Exurgat Deus, & cadat armatus iste:
cadat & conteratur inimicus homo, contem-
ptor Dei, cultor sui; amator mundi, servus
diaboli. Quid tibi videtur? Si recte sentis,
mecum dices: Reus est mortis; crucifigatu.
Noli ergo dissimulare, noli differre, noli par-
cere; sed festinanter, audacter, instanter
crucifige hominem istum, sed cruce Christi,
in qua est salus & vita; ad quem si ex corde
clamaveris, crucifixus tuus audiet te, benigne
respondens: Hodie mecum eris in Paradiso.

3. O Christi pietas, ô inopinata salus mi-
seri! Tam gratuita est & prompta dilectio
Dei,

Dei, tam stupenda dulcedo, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo; ut qui ad eum clamaverit, exaudiat illum, quoniam misericors est. O quanta est misericordia Dei, quam ineffabilis mutatio dexteræ Excelsi! Heri eras in tenebris, hodie in splendore lucis. Heri in ore leonis, hodie in manu mediatoris. Heri in porta inferni, hodie in deliciis paradisi. Sed quid prosunt hæ litteræ admonitionis, nisi deleas de libro conscientiæ tuæ litteras mortis? Quid prosunt hæ scripta, lecta & intellecta, nisi temet ipsum legas, & intelligas? Da ergo operam internæ lectioni, ut legas, inspicias, & cognoscas te ipsum. Legas, ut diligas Deum, ut pugnes & vincas mundum & omnem inimicum: quatenus labor convertatur in requiem, luctus in gaudium; & post tenebras hujus vitæ, videoas ortum surgentis auroræ, videoas etiam meridianum Solem justitiarum, in quo sponsum cum sponsa prospicies unum eundemque Dominum gloriæ, qui vivit & regnat per infinita sæcula.

Finis Meditationum S. Bernardi.